

Patavio emissi omnemque agrum percurrentes , Sonzini-
num Benzonium , qui se ad hostium exercitum Verona
conferebat , quorum erat rei frumentariæ procurator ,
in itinere receperunt non longe a Montaniano , cum
equitibus paucis & jumentis sarcinariis plerisque , & ca-
ptum Patavium adduxerunt . quem quidem hominem ,
propterea quod cum civitate & jure comitiorum majori-
bus suis tradito frueretur , & præterea stipendia reipu-
blicæ ficeret , plane Senatui charissimus , anno superio-
re in clade exercitus Cremam a legato missus id oppi-
dum Gallis hostibus tradiderat ; posteaque semper bel-
lum reipublicæ fecerat ; legati laqueo gula fracta vetusto
in proditores exemplo pedibus suspendi mandaverunt .
Stanio Clementi Epirotæ & tribus ejus equitibus , qui
Sonzinum ceperant , pensiones sunt annuæ omnibus suf-
fragiis a Senatu dono datæ : ipsi uni & militiae insignia ,
& vestis aurea superaddita . Constantinus Arenites Epi-
rota Maximiliano Julioque charus ; ab Julio ad Maxi-
milianum missus , ut illum reipublicæ placaret , pacem-
que ac fœdus inter eos conficeret , Roma Venetas ve-
nit ea in tremi , quæ Franciscum Mantuanorum prin-
cipem Ariminum adduxerat : Lauredanoque & Patribus
salutatis , atque ab iis liberaliter acceptus , aurique li-
bris quatuor & equo peregregio donatus , Taurifum at-
que inde in Alpes contendit . Dionysius Naldius Fa-
ventinus militum reipublicæ præfectus vir fortis complu-
res dies febribus non remittentibus vexatus , atque ad
urbem delatus , morbo cedens periit . cadaver in æde
Gemellorum apud imperatoris Nicolai cadaver positum .
domus fundique a republica illi , quoad viveret , dono
dati , ut ad ejus filiam , quam unam puellam reliquer-
at , transirent , Senatus censuit . Dionysii milites
Vincentio Naldo ejus consobrino sunt traditi , ut , quod
erant plerique Faventini , facilius ob illo regerentur .
Inter hæc Monsilice ab hostibus capitur . Ea in re Pali-
tiæ Galli opera egregia fuit . is enim pedes in primis
cum suis per eam muri partem , quam tormenta dejec-
H. Bembi.

1510
Sonzinus
Benzonius
capitur
XII. cal.
aug.

Benzonii
supplicium
XI. cal.
aug.

Dionysii
Naldi obi-
tus
IX. cal.
aug.

Monsilice
ab hostibus
capitur
XI. cal.
aug.